VIRO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
GOTTLIEB STOLLIO
Politices in inlustri Ienensi Professori
CELEBERRIMO
Fautori maxime deuenerando
S. D
M. Ioannes Georgius Lotterus

Quod religioni mihi hactenus duxi, VIR CELEBERRIME, si transmissis ad TE litteris, negotia TUA, quibus & Academiae, quam ornas, et eruditi orbis ciuis senatorem agis praestantissimum, commoda strenue promoues, interpellarem; illud iam maiori cum animi confidentia efficio, cum per nundinales ferias, vbi silent tantisper musae, magis forsitan TE illis perlegendis vacare posse censeam. de cetero autem in excusandis

facti huius rationibus tanto minus verbo-
ſum apud TE eſſe licebit, quanto magis i-
pſe vltro, & cum eximiae beneuolentiae ſi-
gnificatione nuper es profeſſus, non dedi-
gnaturum TE eſſe meas legere epiſtolas.
ego vero, quemadmodum maxime mihi merito
de hoc fauore gratulor; ita exoptatiſſimam
hancce, quae inde ſubnaſcitur, occaſionem
Tuis ex litteris ſubinde proficiendi ambabus
amplector. erit vero ſimul locus luculentius
teſtandi, quo loco, id eſt maximo, TVA mihi
ſemper fuerint & merita & virtutes, qui-
bus optimum quemque in TVI admirationem
cultumque rapis; quod quidem nuper breui
illo, quo TEcum verſatus ſum, momento haud
licuit efficere. hoc denique de me apud
animum ſtatuas velim, V.C., ſi quid TVI
~~caſ~~ cauſſa heic Lipſiae abs me agi poſſit,
quod ſcilicet virium tenuitatem haud excedat,
nulli me vmquam exſequendi alacritate ~~qui~~
~~quam~~ eſſe conceſſurum. ita vale Profeſſor ex-

cellentiſſime, et diu adhuc Jenenſe Prytaneum ac doctam ciuitatem meritorum, doctrinae, virtutiſque gloria conluſtra. Lipſiae a. d. IIII. Octobr. CIↃIↃCCXXVIII.

Sunt abs me plurimis abhinc annis, παρεργικῶ quidem ſtudio, at tamen haud omnino pauca priuatos in vſus ad excellentiſſimum IVVAN de hiſtoria litteraria commentarium adnotata. hono ſi fierit iuſſeris, copiam haud denegabo, &, p latino, ſiue vernaculo ſermone deſcripta aliquando transmittam. iterum vale.

A Monsieur
Monsieur Stolle
Professeur de la Politique tres celebre
à
Jene.

par Couvert

2184